

omnimodo bona est appetenda, quatenus parentes pueri timeant et timendo occasionem non dent puero peccandi, ut puer pereat in aeternum, ac per hoc timorem incussit parentibus, ne dent aliquam occasionem peccandi, et per ipsam occasionem puer pereat.

*Cap. LX.*

DE SACERDOTIBUS, QUI VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE.

*Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem ei citius assentiatur, tamen si perstiterit omnino in hac supplicatione, sciat, se omnem regulae disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est: Amice, ad quod venisti? Adhuc S. Benedictus ordinem servat in eo quod prius dixit, qualiter laici majoris aetatis seu etiam minoris aetatis suscipiantur, et nunc etiam exponit, qualiter sacerdotes suscipiantur. Sacerdotis nomen ad episcopum seu presbyterum attinet atque diaconem, sicut ipse inferius dicit. In hoc, quod nunc dicit *non citius*, manifestat, quid sit, quod superius dixit de laicis: *non facilis*. Tamen si omnino perstiterit in hac petitione, assentiatur ei, h. e. quod superius dixit de laicis: *ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi injurias et difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus*. Et in hoc loco, in quo subsequitur dicens: *sciat se omnem regulae disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur*, intelligitur, quia per omnes gradus debet probari veluti laicus, etiam plus quam laicus; nam tres sunt gradus, quibus probari debent novitii, i. e. unus ad portam monasterii per quatuor aut quinque dies; deinde secundus in hospitio paucis diebus, h. e. duobus mensibus; tertius est in cella novitiorum per decem menses. Sciendum est enim, quia sunt, qui intelligunt in hoc loco, ubi dicit *sciat, se omnem regulae disciplinam observaturum, nec aliquid ei relaxabitur*, non attinere disciplinam ad flagellum, quia multis modis dicitur disciplina, sed ad observationem*